aufferri jussit, et sacerdotibus, ne stipendiis alerentur, sustentationem congruam concessit.

a) Salzburgische Consistorial = Verordnung ein Nachtrag zum Hirtenbrief Extat im Journal von = und für Deutschland 1784. Januar bis Junius herausgegeben von Goekingk. S. 118. b) Mainzer Monatschrift. 4. Jahrg. 3. h. S. 252. 6. Jahrg. 4. h. S. 276 et 288.

SECTIO II.

Reflexio in canonem Tridentinum.

§. 1.

Quod Synodi Tridentinae canon sess. 22. can. 8. Lutherum condemnet, qui missas absque communione populi illicitas declarabat, non est mirandum. Tot colloquia in comitiis habita, et tota historiae series id satis eloquuntur. Sed quales fuerunt causae, cur licitas crederet missas privatas Concilium Tridentinum? Has paucis libare juvat. Christus, qui religionem

nem ſuam omni tempori, et loco accommodatam eſſe voluit, ratione cultus externi multa eccleſiae praeſulibus determinanda reliquit; ſed introductae ab illis conſuetudines, et diſciplina immutabiles non ſunt; neceſſarium potius eſt, ut ſequenti tempore varii ritus tollantur, novi introducantur, diſciplina relaxétur, aut conſtringatur, prout nimirum genius populi, ſtatus eccleſiae, et ſaeculi expoſcunt: Ex hoc fonte eccleſia rigorem veterum canonum ſublevavit; et eodem ex fonte ſola ſacerdotis communio ſtabilitur. Concedimus, quod Chriſtus omnibus carnem in cibum, et ſanguinem in potum dederit — quod in prima eccleſiae juventute omnes praeſentes communicarint; ſed erronea foret concluſio, hanc praxin variationi non fuiſſe obnoxiam. Nullibi Chriſtus prohibuit, etiam alio ſalutari, ſi poſſibilis ſit, modo euchariſtiam celebrare. Cum igitur euchariſtiae celebratio etiam tum, quando ſolus ſacerdos communicat, promovendae in fidelibus pietati inſerviat, fruſtra carpitur. a) Nam nomine totius populi varias preces, fidei profeſſionem, Deique laudes ſacerdotes interponunt — praeſentia Chriſti vivae ſpei, et charitatis occaſionem praebet, revocantur in memoriam gratiae, quas redemtionis beneficio obtinuimus, excitatur amor gratitudinis et fortitudo in adverſis. b)

a) Facta

a) Facta dispensationum episcopalium historica ex tribus primis saeculis collecta et vindicata Praeside Cl. *Joanne Jung* defendente *Carolo Josepho Thelemann* §. 2. Maier Vertheidigung der natürlichen, christlichen und katholischen Religion 3. Th. (Augsburg 1789) S. 418. missae privatae utilitatem, quin addi quidquam possit, describit. Bey der Messe und durch die Messe wird den Gläubigen täglich gesagt, daß Jesus für ihre Sünden gestorben ist, weil das Abendmal zum Andenken seines Leidens gefriert wird. Sie erhalten also dadurch Trost und Beruhigung wegen ihren vergangenen Sünden. Und kann der Mensch, der doch täglich aus Schwachheit sündiget, diesen Trost sich zu oft geben? ꝛc. Schwarzhueber practisch-katholisches Religionshandbuch 3. B. §. 189. *Wiest* demonstratio dog. cath. Tom. V. § 288. Allgemeine Gedanken von der Trennung der Christen nach der Einsicht seines christlichen Diogenes 3. Th. S. 187. *Stattler* ethica Christiana communis. P. I. cap. II. ?. 160. cap. III. §. 263. 266. *Pouget* institut. cathol. Tom. VI. pag. 352.

b) Absit tamen, quod missas privatas publicae, in qua populus cum sacerdote participat, velim praeferre. Haec Christi exemplo, antiquitati, et voto Tridenrini sess. 22. cap. 6. est conformis — hanc et variae orationes supponunt, quo spectant illae, quibus sacerdos Deum precatur, fieri corpus, et sanguinem Domini omnibus sumentibus in vitam aeternam; et post Communionem: Quod ore sumsimus etc. Probavi tantummodo illas non esse illicitas, aut fidei et moribus contrarias; sed ex eo, quod praxis licita sit, argumentatio nondum valet, illam optimam esse, aut immutabilem. Nec pro simpliciter illicita talem communicandi methodum habere possunt protestantes, cum intra suas quoque ecclesias (teste Molano in tract. super reunione protestantium cum ec-

elesia catholica Viennae 1782. pag 30.) in necessitatis casu pastores sibi ipsis sacram coenam, nemine amplius praesente, exhibeant.

§. 2.

Quae protestantes objiciunt, praesertim in male intellecto catholicorum systemate originem inveniunt. Offendit illos quorundam opinio, qui missam ex opere operato effectum producere contendunt. Sed hanc sententiam illis, qui excogitarunt, defendendam relinquimus; non enim ad fidem catholicam spectat. Nam Synodus Tridentina exigit, ut cum vero corde, et recta fide, cum metu, et reverentia, contriti, ac poenitentes ad Deum accedamus. Michael episcopus Mersburgensis (quondam Suffraganeus Moguntinus) concione de Sacrificio missae apud Cassandrum art. 24. inquit. „ Falso nobis im-
„ putatur, quod missam ejusmodi actum exter-
„ num sentiamus, quem sacerdos suo arbitratu,
„ quibus velit, seu vivis, seu mortius accomo-
„ dare queat; etiam si nulla fide nullaque vo-
„ luntate praeditus sit. Qui aliquam ex hoc sa-
„ crificio ad se utilitatem redire volunt, ejus-
„ modi sint oportet, qui ad divinam sperent
„ misericordiam, alioqui citra propriam fidem,
„ et devotionem aliena actio neminem salvum, et
„ beatum facere potest. " Idem explicat *Sta-*

nislaus

nislaus Hosius cardin. in confessione fidei nomine Synodi Petricoviensis. c. 89.

§. 3.

Nec applicatio, si secundum saniora theologiae principia consideretur, protestantes offendere potest. Fuerunt quidem theologi, qui singulares hac de re ideas, ab aliis minime probatas, sibi formarunt; a) sed, ne juxta privatorum quorundam opiniones doctrina catholica taxetur, cavendum est. — Vox applicatio, (ut est apud Fleurium) si tempora novissima excipiamus, omnibus retro saeculis est incognita; illaque distinctio inter fructum generalem, specialem, et specialissimum nonnisi sano sensu, et sine abusu intelligi debet b) „ Missa potius, ut „ verbis Salmaticensium apud *Fleury* hist. eccl. „ lib. 67. §. 58. utar, est instar candelae, „ quae tam uni, quam alteri lumen impendit, „ et per hoc, quod uni applicetur ex justitia, „ aequaliter, etiam applicari potest pro parentibus, pro amicis etc.; et potest contingere, „ ut in illo, pro quo offertur ex pietate, majorem effectum causet, quam in illo, qui stipendium dedit. — Instruendi sunt homines „ ignorantes petentes, vel exigentes pro sua „ eleemosyna totam sibi missam dari aut suo defuncto (ait Cajetanus 3. part. quaest. 83. art. 1.)

„ Non

„ Non enim aliquis solus minus habebit, si mille „ alii eandem missam pro se ipsis et aliis defunc„ tis, quam si pro se ipso solo celebrari dicatur.“ Idem lib. 70. §. 154. in *nota* applicationem ab oratione, quae in missa Memento dicitur, in rei substantia non differre asserit. — Sicut Christus pro omnibus mortuus; ita et de sacrificio missae c) omnes participant, nec pro arbitrio d) sacerdotis fructus illius dividi poterit, utpote cujus efficacia pendet a solo Deo. — Sacerdos igitur applicans, ut schola loquitur, huic aut illi, non nisi eos Deo commendat --- speciales p. o illis preces fundit, ut scilicet Deus impertiat fructum sacrificii. Interim ad *refraenandam sacerdotum avaritiam Congregatio Cardinalium* authoritate *Urbani* VIII. anno 1625 sub obtestatione divini judicii mandat et praecipit, ut absolute tot missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerint, ita, ut alioquin ii, adquos pertinet, suae obligationi non satisfaciant; quin imo graviter peccent. —

a) *Joannes Scotus* quodlibet qu. 20. *Gabriel Biel* lect. 26.

b) *Mauritius Cuer* theolog. dog. mor. Tom. III. (1778) §. 694. pag. 203. c) *Nimis* katholisches Religionshandbuch 2. B. S. 1395. Huber dringende Vorstellung S. 27. *Van Espen* P. II. sect. 1. tit. 5. cap. 5.

§. 4.

§. 4.

Reliqua, quae *Lutherus* opponit, tanti momenti non ſunt, ut pluribus ſint inveſtiganda. Nam ſi incertitudinem, an ſacerdos conſecrarit (ſiquidem verba conſecrationis non audiantur) opponat; reſpondemus, quod ad diſciplinam ſpectet, an verba conſecrationis clara voce ſint pronuntianda, nec ne -- quod pro ſacerdote tanquam publico eccleſiae miniſtro praeſumtio militet, illum revera conſecraſſe --- et eccleſia illum, qui absque intentione conſecrandi miſſam celebrat, condemnet. --- Si urgeat, nos incertos eſſe, an presbyter in fide verba conſecrationis dixerit; haereſin donatiſtarum reſuſcitat, quae toties refutata, et canonibus eccleſiae eſt rejecta. --- Si abuſus, quos ignorantia, aut avaritia miſſis privatis adjunxerunt, enarret, lubenter concedimus, et deploramus illos; ſed damnat, et damnavit illos eccleſia. Tollantur igitur abuſus, et maneat uſus. Varia adhuc circa thema praefixum dicenda ſupereſſent, quae lectoris judicio relicta ſunto. Nam, cum Tridentinum illum condemnat, qui miſſas privatas dicit illicitas, *ideoque* abrogandas, quaeri poſſet: an et illum anathema feriat, qui illas licitas quidem fatetur, ſed alias ob cauſas putat abrogandas? Verum, ne hiſce immorer, limites, quos mihi poſui, impediunt.